

imam pelvis basin protractum, non poterat attrahi vel levi brachio, quin valvulâ B deorsum emotâ, per orificium A ejusque tubulum aër subingredi promptè posset. Hoc igitur modo paratâ novâ hâc clepsydrâ, partem ejus superiorem A D M (erat enim pedunculus cavus commoditatis gratiâ in M divisus & ima ejus pars superiori sic inserta, ut ab invicem dimoveri facile possent) detractam intra cupam vel labrum aqua plenum sic erectam demersimus, ægrè quidem & Phæn. X. magno conatu, quamdiu orificium A suâ capsulâ B munitum permansit, sed statim multò facilius, posteaquam attracto filo capsula tantillum esset retracta, eodem planè modo quo rem habere in simplici clepsydra Phæn. II. ac III. nos docuerant, vel admoventes vel removentes digitum, cujus vices valvula B hoc loco sustinet. Mersum ita vasculum B D altius aut minùs profundè, vel totum ferme vel magnam partem replebatur aquis per infera fundi foraminula subingressis, easq; deinde in aërem liberum protractum ita suspensas tenebat, ut quorsumcunque delatum, modò in situ perpendiculari sustentaretur, ne guttam quidem dimitteret: Eius verò fluxum quoties aut nos aut alii desiderabamus, filo saltem tantisper attracto erat opus, & statim densam ex foraminibus fundi quasi pluviam delabi videbamus, mox ad libitum nostrum rursus cessantem, ubi, laxato iterum filo, capsula B ab elatere suo sursum pressa laryngis A hiatum inferum iterum occlusisset.

XVI. Nihil ergo restabat, quàm ut artificium hoc penitus tegeretur, & fili tractione quoque occultatâ spectatorum animos in admirationem tantò majorem raperet; id quod sequenti modo conficere studuimus: Fecimus à scriuario parari tripodem ligneum tres circiter pedes altum, cujus orbis superus aliquantum excavatus in sinum suum recipere poterat pelvim clepsydræ superius descriptæ. Per orbis hujus medium itidem perforatum demisimus filum clepsydræ, & crenâ incisâ tum in facie orbis inferiore, tum etiam per